

praecinit Antiphonam *Salva nos*, et dicitur Canticum Simeonis; ac dicto *Gloria Patri*, omnes de Choro simul integram repetunt Antiphonam, quam subsequuntur Preces, si dicendae sunt, iuxta ritum Officii; et dictis ab Hebdomadario Oratione *Visita, Dominus vobiscum, Benedicamus* et *Benedicat et custodiat nos* etc., immediate recitatur Antiphona finalis B. M. V. iuxta tempus, et responso *Amen* a Choro post *Divinum auxilium*, dicuntur secreto *Pater, Ave* et *Credo*.

232. Officium diei concluditur ordinarie cum oratione *Sacrosanctae*. Vid. exceptionem, n. 283.

#### CAPUT IV.

##### DE ALIIS OFFICIIS IN CHORO RECITARI SOLITIS.

##### § I. — De Officio parvo B. Mariae Virginis.

233. Officium parvum, quod extra Chorum non est de praecepto <sup>1</sup>, ex Rubricarum praescriptione fit quoties Officium peragitur trium Lectionum.

234. Excipiuntur Pervigilium Nativitatis Domini, Hebdomada maior, tota Octava Paschae et Pentecostes. Hisce diebus omittitur a primis Vesperis; in Vigilia autem Nativitatis a Matutino.

235. Ritus in Choro circa hoc Officium est ut in Officio de Feria, id est Invitatorium, Ps. *Venite exultemus*, et Versiculi dicuntur a solo primo Acolyto. An-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

tiphonae ante Psalmos solummodo inchoantur, post Psalmos vero a Choro integre repetuntur.

236. Absolutiones, Benedictiones, Capitula et Orationes dicuntur ab Hebdomadario, Lectiones ab Acolyto. Choro sedente, Responsoria alternantur ab utroque Choro.

237. Vesperae et Matutinum cum Laudibus Officio diei praeponuntur hoc modo: dicto *Pater noster* et *Ave*, dicuntur Vesperae B. M. V.; dictoque *Benedicamus Domino*, immediate incipiuntur Vesperae diei. Similiter dicto *Pater noster, Ave* et *Credo*, dicuntur Matutinum ac Laudes Officii parvi; et dicto *Benedicamus Domino*, incipit item immediate Matutinum diei.

238. Prima parvi Officii dicitur post *Benedicamus Domino* Primae diei, et post *Benedicamus Domino* parvi Officii legitur Martyrologium ac dicuntur reliqua, ut in Breviario.

239. Tertia, Sexta et Nona Officii parvi pariter dicuntur immediate post *Benedicamus Domino* Horarum diurnarum.

240. Idem valet de Completorio, si dicendum est. Tunc post *Benedicamus Domino* Officii parvi, subiungitur *Benedicat et custodiat nos* etc. Officii diurni.

241. Tempore paschali in Officio parvo non additur *Alleluia* Antiphonis, neque Versibus neque Responsoriis <sup>1</sup>, sed recitantur prout iacent in Breviario, si illa tantum excipias, quorum mutatio in Officii eiusdem Rubricis praecipitur.

<sup>1</sup> Rubr. gener. t. 37, n. 2: et pecul. n. 239; ac S. Rit. C. 26 Aug. 1752, in una Gadicen. ad 2.

242. Horae Officii parvi denique, quando dicuntur disiunctive ab Officio divino, concluduntur sicut Horae canonicae cum *Benedicamus, Fidelium animae, Pater noster* et Antiphona finali.

§ II. — *De Officio Defunctorum in Choro persolvendo.*

243. Officium Defunctorum extra Chorum non est de praecepto <sup>1</sup>, excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac vi Constitutionum nostrarum, die Commemorationis Confratrum nostrorum defunctorum post festum S. P. N. Francisci, prima die non impedita festo duplici maiori etc., ut infra n. 261.

244. Quando ex communi praxi in Officio Defunctorum standum et quando sedendum est, vide n. 56.

245. Dicitur Officium Defunctorum extra tempus paschale, prima cuiusque mensis die non impedita festo novem Lectionum, alioquin alia sequenti die similiter non impedita.

246. Item in Adventu et Quadragesima Feria II cuiuslibet hebdomadae similiter non impedita, praeterquam in maiori Hebdomada. Si vero Vigilia Nativitatis Domini incidit in Feriam II, non dicitur Officium Defunctorum.

247. Diebus praedictis Officium fit ritu simplici; Invitatorium ac Ps. *Venite exultemus* omittuntur, unus dicitur Nocturnus, ad Vesperas et Laudes dicuntur tres

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

Orationes (ut in Breviario) ac Preces, flexis genibus. Psalmi et Lectiones erunt Feriae currentis.

248. Si omnes dies mensis aut Feriae II Adventus et Quadragesimae impediuntur Officiis novem Lectionum, tunc Officium Defunctorum omittitur.

249. Officium Defunctorum dicitur in Choro post Officium diei, id est, Vesperae post Vesperas, etiam in festo primae classis et de praecepto, et Matutinum post Laudes diei et quidem statim post *Benedicamus Domino*, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum; extra Chorum vero, pro opportunitate temporis <sup>1</sup>.

250. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, iuxta Rubricas Officium adimplendum est in Choro mane ipsa die <sup>2</sup> Novembris; nisi, ut populi commodius et frequentius illi interesse possint, contraria vigeat consuetudo <sup>3</sup>, uti in Cathedralibus adsistente Episcopo dioecetano.

251. In Officio Defunctorum Antiphonae duplicantur die Commemorationis omnium Defunctorum, die depositionis seu quasi-obitus, die tertia, septima, trigesima et anniversaria, die Commemorationis Confratrum nostrorum defunctorum, et quoties dicuntur novem Lectiones <sup>3</sup>.

252. Si praesente cadavere ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, unus dicatur Nocturnus, Antiphonae duplicantur similiter, et recitatur primus Nocturnus iuxta Rituale Romanum <sup>4</sup>. Preces tunc omittuntur.

<sup>1</sup> Rubr. Breviar. in Offic. Defunctor.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 4 Septemb. 1745, in Ratisbonen.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 8 Martii 1738, Ulixibon. Occident. ad 3.

<sup>4</sup> Rit. Roman. De Exequiis.

**253.** In Responsorio *Libera me Domine de morte aeterna*, prima repetitio post  $\Psi$ . *Tremens factus sum*, fit a primo asterisco usque ad secundum; ac verba a secundo asterisco usque ad praefatum  $\Psi$ . reservantur pro altera repetitione <sup>1</sup>.

**254.** Psalmi *Lauda anima mea* in fine Vesperarum et *De profundis* in fine Laudum praetermittuntur tantum in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, nec non in die obitus seu depositionis Defuncti, praesente cadavere, etsi unus dicatur Nocturnus; alias semper dicuntur <sup>2</sup>. Nos vero vi specialis Indulti Apostolici, praedictos Psalmos praetermittere possumus, quoties durante anno Defunctorum nostrorum fit Commemoratio <sup>3</sup>.

**255.** Orationes pro Defunctis recitandae sunt ut iacent. Nomina et dignitas adduntur tantum, ubi in ipsa Oratione litteris *N. N.* indicatur <sup>4</sup>. Sic v. g. in Orationibus *Inclina* et *Deus indulgentiarum*, nec nomen nec dignitas adiunguntur.

**256.** Quando Officium Defunctorum recitatur sub ritu duplici, dicitur una tantum Oratio conveniens ei vel eis, in cuius vel quorum suffragium cedit, et semper quidem sub conclusione longiori, ut Rubricae etc. inuunt, quamvis statim subsequatur Missa vel Absolutio.

**257.** Quando vero in Officio Defunctorum tres dicuntur Orationes, conclusio ultimae Orationis brevis est.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Septemb. 1840, in Avenionen.

<sup>2</sup> Ex pluribus S. Rit. C. Decret., et Rubr. Breviar. in Offic. Defunct. ac Rit. Rom. De Exequiis.

<sup>3</sup> Indult. Apost. 13 Maii 1880.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 7 April. 1832, in Viglevan.; et 22 Mart. 1862, in una S. Marci, ad 17.

**258.** Quamvis unicus recitetur Nocturnus cum Laudibus, nunquam praetermittere licet ultimum Responsorium ac Preces cum Ps. *De profundis* (quando iuxta n. 254 dici debet), atque cum Oratione seu Orationibus, etiamsi statim sequatur Missa de Requie vel Absolutio <sup>1</sup>.

**259.** Cum Officium aut eius pars persolvitur pro uno tantum Defuncto,  $\Psi$ . $\Psi$ . et R).R). quae immediate Orationem praecedunt et subsequuntur, dicuntur in singulari numero. Ante Orationem: R). *Erue Domine animam eius*,  $\Psi$ . *Requiescat in pace*; et post Orationem: *Requiem aeternam dona ei* etc., et  $\Psi$ . *Requiescat in pace*, qui tamen ultimi Versiculi omittuntur, si statim sequatur Missa de Requie aut Absolutio. Reliqua in Vesperis, Matutino et Laudibus omnino dicuntur uti iacent, sive pro uno recitentur, sive pro pluribus.

**260.** In Officio et Absolutione pro omnibus Fidelibus defunctis, in fine omittitur  $\Psi$ . *Animae eorum et animae omnium Fidelium defunctorum* etc.

**261.** Commemoratio omnium Fidelium defunctorum die secunda Novembris fieri nequit, si incidat in diem Dominicum vel festivum de praecepto, sive universali sive particulari. Item tempore XL Horarum aut alterius publicae expositionis SS. Sacramenti, et quandocumque celebretur in respectiva Ecclesia cum insigni solemnitate, etiamsi Officio careat, sive celebretur communiter cum aliis Ecclesiis, sive singillatim. Commemoratio autem Fratrum nostrorum defunctorum fieri nequit diebus, quibus occurrunt vel in quos transferri debent Officia ritus duplicis maioris vel classici.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 16 Decemb. 1828, in Volaterr. ad 4.

**262.** Praesente cadavere, Officium Defunctorum recitari aut cantari potest omnibus diebus, exceptis Feriis V, VI ac Sabbato maioris Hebdomadae, tempore XL Horarum vel alterius publicae SS. Sacramenti expositionis; item Dominicis Paschae et Pentecostes, ac festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, Immac. Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph Sponsi B. M. V., Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, Dedicationis ac Titularis propriae Ecclesiae et Patroni principalis loci. Alia vero festa primae classis non excipiuntur, nisi sint de praecepto et celebrentur cum magna pompa: apud nos v. g. festum S. P. Francisci, et Dedicationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum.

**263.** Non praesente cadavere, excipiuntur, praeter dies praedictos, omnes Dominicae et festa de praecepto, duplicia primae et secundae classis, Octavae privilegiatae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, Corporis Christi, Feria IV Cinerum, tota Hebdomada maior, Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes, et quando SS. Sacramentum solemniter est expositum.

**264.** Ubi ob civile vetitum, morbum contagiosum etc. prohibitum est portare cadaver in Ecclesiam et exponere, licitum est ibi non solum insepulto sed et humato cadavere, dummodo non ultra biduum ab eius obitu censeretur potest ac si foret physice praesens, Officium Defunctorum (et Missam exequialem) canere, quoties praesente cadavere permittitur<sup>1</sup>. Vid. n. 992.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 13 Februar. 1892.

**265.** Officium Defunctorum diebus nominatis n. 261, 262, 263, prohibitum solummodo est, quando fit cum cantu et exteriori apparatu seu pompa; privatim et sine pompa semper fieri potest excepto ultimo Triduo Hebdomadae sanctae, immo submissa voce fieri potest post Completorium diebus solemnibus et etiam SS. Sacramento exposito (si quidem Officium sit diei expositionis addictum), hora tamen, qua minor est Fidelium frequentatio<sup>1</sup>.

### § III. — De Psalmis Gradualibus.

**266.** Psalmi Graduales dicuntur in Quadragesima Feria IV (excepta Feria IV Hebdomadae maioris) cuiuslibet hebdomadae non impedita aliquo festo novem Lectionum. In Choro persolvi possunt pridie sub vesperam Feriae III post Completorium<sup>2</sup>; extra Chorum non sunt de praecepto.

**267.** Recitantur sedendo et submissa voce.

**268.** Incipiuntur primi quinque Psalmi ab Hebdomadario absolute sine *Pater noster* etc., et prosequuntur alternatim a Choro; *Gloria Patri* non dicitur, sed in fine ultimi Psalmi *Requiem aeternam* etc.: deinde dicuntur flexis genibus Preces cum Oratione, ad quam Hebdomadarius surgit.

**269.** Post Orationem dicuntur statim alii quinque Psalmi, et in fine cuiuslibet Psalmi *Gloria Patri*. Sequuntur Preces, et Oratio, ut supra. Eodem modo dicuntur alii quinque Psalmi, Preces ac Oratio, quibus nihil additur.

<sup>1</sup> Rubr. pecul. n. 233: et S. Rit. C. 8 Iulii 1741, in Lamacen.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1850, in Messilien. ad 1.

270. Notandum tamen, quod primi quinque Psalmi incipiuntur a primo Choro, secundi a secundo Choro, tertii iterum a primo Choro.

§ IV. — *De septem Psalmis Poenitentialibus, deque Litanis in Choro recitandis.*

271. Psalmi Poenitentiales cum Litanis dicuntur flexis genibus in omnibus VI Feriis Quadragesimae, quando Officium fit de Feria, excepta tamen Feria VI Hebdomadae majoris. Recitantur in Choro (nam extra Chorum non sunt de praecepto <sup>1</sup>) post Matutinum et Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino*, incipiendo cum Antiphona *Ne reminiscaris*.

272. Psalmi Poenitentiales cum Litanis nequeunt anticipari in Choro post Completorium Feriae V, nisi adsit consuetudo <sup>2</sup>; tunc dicantur ante Primam.

273. Litaniae, omissis Psalmis Poenitentialibus, dicuntur in festo S. Marci et in tribus diebus Rogationum; et in processione, quamvis sit brevis, duplicandae sunt <sup>3</sup>. His Litanis nihil est addendum, nihil in eis immutandum, sed recitandae sunt prout iacent in Brevariario. Sunt de praecepto etiam extra Chorum.

274. Porro Litaniae Sanctorum, iuxta antiquissimum Ordinis morem et Constitutionum nostrarum praescriptum, recitantur a nobis singulis diebus ante matutinam orationem mentalem.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 2 August. 1603, in Lauden.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 7 Maii 1853, in una Congreg. S. Redempt.

CAPUT V.

DE ANTIPHONA FINALI B. M. V.  
ET ORATIONE « SACROSANCTAE ».

275. Antiphona finalis B. M. V. praeter tempus paschale dici debet stando, omnibus diebus Dominicis, a primis Vesperis in Sabbato usque ad occasum solis in ipsa Dominica seu usque ad sonum vespertinae Salutationis angelicae, licet intra praefatum tempus non recitetur Officium Dominicae, sed vel Sabbati vel Feriae II <sup>1</sup>. Aliis autem temporibus dicitur flexis genibus, stante solo Hebdomadario ad Orationem.

276. Attamen, si post crepusculum vespertinum Officium Dominicae persolvatur, Antiphona finalis non flexis genibus, sed stando erit pariter recitanda <sup>2</sup>.

277. In Sabbatis Quadragesimae, licet Vesperae ex more Ecclesiae persolvantur ante meridiem, tamen Antiphona finalis B. M. V. dicitur stando <sup>3</sup>. Salutatio vero angelica in meridie ipsius Sabbati dici debet ad lucrandas Indulgentias flexis genibus, quum in casu ritus standi incipiat hora consueta, licet anticipata Vesperarum recitatione.

278. Quando Antiphona finalis stando dicitur, stare debent omnes in Choro etiam ad integram Orationem, quia ipsa Oratio Antiphonae ritum sequitur.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Novemb. 1831, in una Marsor. ad 45.

<sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 16 April. 1853, in una Ord. Min. de Observ. ad 30.

279. Antiphona finalis B. M. V. praetermittenda est, quando aliquam Horam canonicam (licet sit Nona) immediate subsequitur Missa conventualis, quae incipi debet dicto *Fidelium animae* etc. <sup>1</sup>, vel etiam alia Missa sollemnis <sup>2</sup>.

280. Antiphona finalis B. M. V. omittenda est etiam quando aliquam Horam canonicam, excepto Completorio in cuius fine Antiphona finalis semper dicitur, subsequitur Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Poenitentiales aut Litaniae Sanctorum ex praecepto Rubricae, non vero ex devotione.

281. Oratio *Sacrosanctae*, quae non est pars Officii, dicitur post Officium et quidem flexis genibus. Ex concessionem tamen Pii IX recitari potest non flexis genibus ab iis, qui infirmitatis causa a genibus flectendis impediuntur <sup>3</sup>. Devote eam recitantibus remittuntur culpa in Officio divino ex humana fragilitate contractae.

282. Oratio *Sacrosanctae* a singulis integre et articulatis verbis recitanda est, et non a solo Hebdomadario. *Ÿ. Beata viscera* etc. et *R). Et beata ubera* etc. alternatim ab Hebdomadario et a Choro dicuntur.

283. Quando Matutinum pro die sequenti dicitur post diei praecedentis Completorium, oratio *Sacrosanctae* non nisi absoluto Matutino diei sequentis recitatur. Secus autem, si Completorium inter et Matutinum, longiores preces a Rubrica non praescriptae interponantur.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 24 April. 1742, in una Thelesina.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 24 Maii 1856, in una Ord. Min. Observ. ad 6.

<sup>3</sup> S. C. Indulg. Decret. Urbis et Orbis, 26 Iulii 1855.

## CAPUT VI.

## DE PRIVATA OFFICII DIVINI RECITATIONE.

284. In privata recitatione, etiamsi quis recitet solus, dici debet *Dominus vobiscum*, *Et cum spiritu tuo* — *Iube domne* (non *Domine*) *benedicere* etc., sicuti in recitatione publica; et nihil est omittendum praeter quasdam exteriores caeremonias uti prostrationes, conversiones et inclinationes profundas. Inclinationes autem capitis religiose faciendae sunt, quandocumque nominatur Trinitas, Iesus, Maria, etc.

285. Si duo vel plures simul Officium privatim dicant, possunt semel tantum Confessionem facere et tunc omittere *vobis fratres* et *vos fratres*, et pariter dicere *Misereatur nostri . . . dimissis peccatis nostris* etc.: duplex enim Confessio non est obligatoria nisi in Choro.

286. Clericus nondum Diaconus, in recitatione Officii privata (et in Choro quando officio Hebdomadarii fungatur, absente Sacerdote), dicit *Domine exaudi orationem meam* loco *Dominus vobiscum*.

287. Si quis in privata Officii recitatione Matutinum a Laudibus separet, tunc post *Te Deum* quando locum habet, alias post nonum Responsorium, addere debet Orationem Officii principalis sine Commemorationibus, si quae occurrunt; et post *Benedicamus Domino* et *Fidelium animae* etc., *Pater noster*, non vero Antiphonam finalem B. M. V. quam in fine Laudum Rubrica praescribit <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Februar. 1888.

288. Ad Laudes autem, quae dicuntur tanquam Hora distincta a Matutino, praeponi debet *Pater* et *Ave*, iuxta Rubricam illam: *Ante omnes Horas, praeterquam ad Completorium, dicitur secreto Pater noster et Ave Maria*; hoc autem non valet pro recitatione choralis nocte Nativitatis Dominicae.

289. Quoad Nocturnos vero, licet separatim dicantur, quum non censeantur tres Horae, sed tanquam una Hora habeantur, necesse non est eis praemittere *Pater* et *Ave*, nec concludere cum Collecta et Oratione dominicali etc.<sup>1</sup>.

290. Obligatio dicendi Preces finales ac Antiphonam finalem B. M. V. flexis genibus tantum pro Choro valet<sup>2</sup>, sunt tamen laudandi qui hoc etiam in privata Officii recitatione observant.

291. Si quis in privata recitatione ex oblivione vel inadvertentia aliud Officium dixerit, diversum ab illo quod iuxta Rubricas recitari oportebat, nequaquam Officium omissum ad aliam diem remittere debet, ne bis erret, sed prorsus illo anno illud praetereat. Neque si eadem die advertat errorem, Officium repetere tenetur: Officium enim pro Officio valet.

292. Idem dicendum de parte quacumque Officii, iuxta aliud axioma: Error corrigitur, ubi deprehenditur. Ex quo sequitur, quod advertendo errorem in decursu recitationis, satius est reliqua recitare de Officio debito, finito tamen Psalmo vel Oratione.

293. Cavendum tamen a tali errore seu inadvertentia, nam vix unquam sine culpa erit, praesertim si quis Calendarium penes se habet.

<sup>1</sup> Vide Cavaler. t. 2, c. 24, d. 1, n. 10.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 17 Iunii 1873.

## PARS TERTIA

### De Sacrificio Missae.

#### ARTICULUS I.

##### DE SACRIFICIO MISSAE IN GENERE

#### CAPUT I.

##### DE REQUISITIS AD CELEBRATIONEM MISSAE.

##### § I. — *De loco et tempore celebrandi Missam.*

294. Ordinarius locus celebrandi Missam est Ecclesia consecrata vel saltem benedicta.

295. Licet etiam Missam celebrare in Oratoriis publicis et privatis, servatis servandis.

296. Licet Missam celebrare, cum et etiam absque licentia Episcopi, si absens sit et difficulter adiri possit, ante fores Ecclesiae in maximo populi concursu, in bello pro exercitu, in littore maris, item ex privilegio in navi pro navigantibus, modo absit periculum irreverentiae et subversionis Calicis ex vehementia maris aut tempestatis.